~~[illegible]~~

Ex libris principis Giedroyc.

[illegible]

1730 – 33

DII PENATES

Ferrea Ætate

Adamantinam PORTAM

Ceu Domum Æternitatis

INCOLENTES:

Sub Festum ECCE Solennis Ingressûs

In PALATINATUM Vitebscensē

ILLUSTRISSIMI DOMINI,

D. MARTIANI

De KOZIELSK

OGINSKI,

post CASTELLANOS Fasces

Magni PALATINI,

CAPITANEI Borysoviensis, Przevalscensis, Babinoviensis, &c. &c.

Publico Orbis Cultui

EXPOSITI:

à maximè *Devota* Illis Minima Societate

Sacrificio Laudis

HONORATI,

Oratorio verò Capite

In Infimo Stylo profundissimè

ADORATI.

Anno quo

sVCCeDet faMâ, VIVVsqVé per ora feretVr.

Virg: Æneid: l. 12.

30 In Characteristica ILLUSTRISSIMÆ Domûs Decora,

Quæ magnis olim patefacta Triumphis. Propert:



Jupiter in Terras visu jaculatus ab Alto,
JLLUSTRES toto lustrat in Orbe Domos;
Obviat ast Oculis confestim PORTA Ducalis,
Suspicit, atq; Tonans inquit: Olympe vale!
Migremus dixêre Dii, migremus ab Astris;
In Te claude Polum cum Jove, PORTA PATENS.

ILLUSTRISSIME
PALATINE.

ARduum eſt vel redivivo eloqui Tullio, quantùm novam à candidis in Te Votis Albaniam, Albam Ruſſiam delectat Metaphora, quâ Feſtũ Tranſlationis Tuæ, à Caſtellana Curuli ad Palatinam Orcheſtram celebratur. Verũ parce liberaliſſime ad veniam PALATINE! prima Exordii frõte erravit Orator. Ruunt ſimili caſu etiam alta Ingenia, ubi Altiora ſe ipſis, metiuntur. Idem quandoq; evenit magnis Capitibus, in publico Sole maxima narraturis. Opprimitur etenim perſæpè à Gloria, qui Heròûm Majeſtatem animoſiùs ſcrutatur. Non unam igitur Provinciam, ſed Sarmatiam, Europam, Orbem delectas, quàm primùm de Vertice Caſtellanæ Satrapiæ, in ſublimius eluctaris Culmen, ut palam fiat

Calcaneo Tuo Gradum eſse, quod vel faſtu laboranti Capiti, Faſtigium videtur. Nimirùm ſupremi Honorum Apices, cùm ſciant ſe infra Ducalis Nominis eſse Altitudinem, occurrunt ſupplices & poſtulant elevari. Hinc erubeſcit Murex, qui in hujuſmodi non rubet Humero, à quo Genus ſumit Exornativum, cùm aliâs ipſe tribuat. Provocant ſuam in ſe Securim Faſces, quibus ſecurùm creditur, extra illas morari Manus, quarū nutu ſtat Patriæ Fortuna. Minores ſeipſis proclamantur Tituli, qui extra tantæ Celſitudinis ſunt conſortium, acſi indigna ſuo nomine cenſeretur Dignitas, quin ardentibus Votis OGINSCIOS ſibi precaretur. Non Tu itaq; ſecundam Trabeam, ſed Te illa ſecundè quæſivit, & niſi admitteres, quereretur. Ultrò venit ad Avitam PORTAM Palatinus Honor, ubi dum Te invenit, non latet Orbem, quàm vocales ubiq; plauſus! quàm liquida gaudia! quàm non popularis inter Populos hilaritas! quaſi ipſæ Feriæ luderent Protheum in Dominicâ Lætare.

Rede-

Redeunt Tempora, quæ cum Aureo avolârunt Sæculo, ut pretioſum in conſpectu Orbis videant Magnatem, & tamdiu Magni Senatoris trabeato aſſiſtant Lateri, donec ter Beatus in vita, à tertia fias Purpura, eâq; primâ, inter Majores Regni Fratres. Et verò dignus es accipere Honorem, qui totum Te reddis Reipublicæ. Iterum ergo progredere ad Ædes Honoris; mutus Orator Pagina occurrit, quæ tamen liberrimum Pectus flagitabit a Superis, ut totus audiat de Illo Orbis, qui vel ex Memnone argenteam vocem, ſub purpureum denuò Orientem ſuſcitaret. Clareſcet proculdubio nativa ſepiæ fuligo, ab OGINSCIANO Nomine refracto fulgore, nec frigidi Oratoris feremus criſim, dum ſolitò ferventior fiet Svada ab Objecto. Alibi dicat quiſpiam, quod dictat Aſſentatio, ab Illuſtriſſimi Agnominis Tui Etymo, flammam concipit Affectus, ut Sole clariorem pariat Veritatem. Sublimè tamen non volabit penna, ut & levitatis minimè incuſetur, dicendorum gravata multitudine; & adorare potiùs,

quàm metiri Tuam Magnitudinem videatur. Illa tamen prima est Oratoris fragilitas, quòd Fragmenta *nonnisi Tuarum Virtutum, Lechiæ porriget ad gustum, & solas Benemeritorum* Reliquias *dabit Orbi ad reverentiam. Nec mireris! tanta egisti, ut Immortalitatis non sufficiat Volumen, plura feceras, quàm Oratorum valeant Ingenia; unde & nostro Defectui dabis indulgentiam, & qui magna legent in foliis, majora de Te cogitabunt. Et certè quid parvarum Periodorum atomi? si Tomi Te non capient; quid angusti Paginarum Margines? ubi Oceanus dicendorum. Pingemus interim utcunq; literariis umbris Solem, à quo Minima Societas, Magnam habet Protectionis Umbram, cùmq; sit nonnihil fusca, à pullato amictu; semper profusis Gratiarum radiis serenatur. Cùm verò singulariter Torrente Munificentiæ inundetur, Fontem coronat Foliis Panegyricis:*

NOMINI & HONORI

Obligatissimum Collegium
Vitebscense Societatis JESU.

PANEGYRIS.

Q*Uirinalis OGINSCIORUM PORTA, Latina* eſt Oratoribus, quam nec licet, nec expedit ingredi, præterquam Capite, ut non ſit Oratio, niſi ſimul adoratio. *Illuſtriſſime Palatine.* Et verò non magìs Titan Aquilas, Magnes ferrum, ſuccinum Terræ allicit lanuginem, quàm Ducale publicæ felicitatis Oſtium Tullios; qui ſeptemfluo Svadæ Nilo, portum quærunt in PORTA, ne in Rubro verecundiæ Mari naufragen-

tur. Damnatur etenim ad obſcurum Genus Eloquentia, ſi per hujuſmodi Limen in publicum non prodit Solem. Vix unquam liberum habet paſſum Facundia, niſi hâc PORTA Orbem intret, quæ cùm Ipſa pateat, os aperit Oratorum. Hinc certè ungunt Illam ſvaviore Eloquio mellei Platones, inſternunt floridi ſtyli roſis Hortenſii, ornant phalerata Dictione Plinii, cingunt demùm aureo torque Gallicani. Involant Mitratos Poſtes eruditæ pennæ, ut in aureis Illorum laminis, indelebilē Elogiorũ formēt Characterē. Excubat ad PORTAM cataphracta Pallas, jamq; Ingenii acie, jam ſublimi ſtylo, Gloriæ militat OGINSCIORUM. Adorant triumphalem hunc Arcum, cernuo vertice Oratores, & pro alato Getarum telo, acutiorem in Encomia aptant Calamum, pro barbaro Tauricæ nervo, nervoſam in filo devovent Dictionem. Nec raro præ reverentia Ducalis PORTÆ, à longè non trita ſubſiſtit Svada, ut à ſæculis tritas penitiùs

inve-

inveſtiget ſemitas, quibus Virtus, Honor, & Fortuna tractim procedebant. Videt hìc ad invidiam aliorum *Viam Aquilæ*, quâ Lecheus Ales PORTÆ, ceu Domui Solis, avidam lucis inferebat pupillam. Advertit, jam *Viam Flaminiam* à ſplendore Meritorum in Patriam illuſtriſſimam, jam *Aureliam*, à ferreis pro Aurea Libertate Bellatoribus. Intuetur quoq; *Viam Regiam*, quà Sarmatiæ Regnatores palmari Affectuum ibant paſſu; ſpectat deniq; *Viam Juris & Facti*, quâ immortalia agendo, perennaturam ſibi Famam OGINSCII evicerunt. Audaciores nihilominus nos reddit Palatina in Omnes Humanitas. Securè namq; ingredimur, coronatum Lauris Palmisq; Oſtium, & adamantino Lyſippi ſtylo æternaturos in ipſa Fronte ſcribimus Titulos: OGINSCIORUM PORTA *Domus eſt Deorum, & quot Nominum, tot Numinum, totq; Semideorum baſilicum Palatium.* Exulta jam Lechia! habes in terris Olympũ, quem vel ipſi Titanes centimano auſu

aggredi formidabũt. Plaude RUSSIA! en novum extra Latium Pantheon, tot Deorum, quot Virorum. Triumpha Litvane Orbis! en ſecundum extra Quirini Urbem Capitolium, publico Populorum cultui erectum, in quo viva Heróùm Simulacra digna Aris, digna Apotheoſi, etiam Livoris nube indutus oculus palpabit. Victa jam eſt Græcia, victa Romana ſuperſtitio cum Deorum Exercitu, quem ut impiè coluit, ita inaniter metuebat. Nimirùm utriq́; & ficta amori, & picta terrori fuêre Numina. Lunabat ſuperbam cervicem ſuam Diis Vetuſtas, vel ex eo animato par trunco, quòd illi fuerit ex omni ſtipite Mercurius. Cædebat victimam Deaſtris, cæſa in Capite Antiquitas, cùmq́; innumeris litâſſet ſangvinem Numinibus; multùm erubuit, quòd Unum numerare ignoravit. Procul itaq́; Dii Gentium, procul de otioſis Ingeniis in lucem edita Figmenta, OGINSCIORUM PORTA Numinum eſt Sacrarium, tunc ferrea Immortalitatis

tis

tis ſtructum Manu, cum Orbis conderetur. Et certè naſcuntur hìc non fabuloſo partu *Joves*, publicæ Fortunæ *Statores*; à Capite ad mentem Patriæ *Capitolini*, à fatalibus Hoſti feretris *Feretrii*, nec Turres ſed Terras aureo imbre inundãtes. Miniſtrat Illis, Sarmatiæ quoq; Volucris trifidum fulmen, ut ferali eos caſtigent plaga, qui frequenti Bellonæ fulgure, Patriam terrent inſolenter. Videt hic etiamnum Orbis, Auream Ætatem, Lechiæ inferentes *Saturnos*, non alia armatos Falce, quàm adunco Lacheſis ferro metuenda, ad Meſſem Gloriæ expedita; & vel ideo ad *Falcatos* in hoſtem apta *Currus*, quòd apprimè novit, Capita metere Aureæ Libertati inimica. Inhabitant etiam PALATINAM PORTAM *Mercurii*, pro Bono publico alati, ſemperq; Patriæ, bonæ diei Nuntii, ad Caduceum æquè ac Scipionem eruditi. Et quidni veſtrum eſt *Legatos* eſſe non à *Latere* tantùm, verùm & à Corde Sarmatiæ, dum non alia Vobis Elo-

quentia, quàm Numinum Reipublicæ Tutelarium, non alia loquendi phraſis, quàm accommoda Stylo Libertatis. Metueret ſibi Orator, niſi ferreos OGINSCIORUM Poſtes, *Martis* Conclave ſolenni Svadæ Claſſico promulgaret. Solem equidem negat, qui à Ducali Domo Numina belli excludit. Facilius eſt, hìc naſci Gradivos, quàm olim fuerat fabulam de Marte texere; citiùs inde robuſtiores in Aciem ibant Athletæ, quàm infenſa Patriæ Signa provocarent. OGINSCIORUM eſt etenim, igneſcere ſub æſtum Bellonæ, excitare ardorem pugnæ, inflammare Commilitonum pectora, ſuccendere Hoſtium Manipulos, urere Incendiarios Patriæ & damnato ad mortuales umbras Inimico, illuſtrem reddere Victoriam. Ut verò ab oppoſitis magìs eluceſcat Svada, OGINSCIANUM eſt Belli tempeſtate non extingvi, Adverſariorum tabo nutriri, ſangvineo nimbo foveri, cruentoq; Martis diluvio citra diſpendium Illuſtriſſimæ ſuæ Glo-

riæ

riæ innatare. Loqvuntur ſæcula, narrat Immortalitas, quid Gladius veſter in A-cie agebat? ſignabat ille ad ignominiam, Hoſtium Capita ſine fronte, feriebat Faciem, ut fuſo ſangvine, Palmam præripere erubeſcerét. Secuit hoſtiles venas, ut Patria meliùs valeret, meſſuit colla, quatenus vel de inanimi Trunco Laurus creſceret; penetravit viſcera, ut cum ſanie, fluens vitæ Horologiũ emanaret. Amputabat deniq; uno ictu ſexcentas Inimicorum dexteras, ut ſiniſtram à Lechia averteret Fortunam. Alibi induunt timidum pallorem, viſo ſangvine, ornati Purpurâ lacerti. Neſcit quandoq; Mucronem vibrare, nata ad Faſces manus; nihilq; ita Illuſtres formidant Animæ, quàm è Martio pulvere prognatã lucem; nullo tam facilè terrentur, quàm ſtrepitu Armorum. At Veſtrum eſt Faſces Enſi, Mitram Galeæ, Sago Trabeã ſociare. Militare nãq; Exercitiũ, Domeſticum eſt Vobis, dum vel prima Vitæ Rudimenta præliis expolitis. Si ubi? in

hac Domo aurei naſcuntur Viri, qui Struthionum more ferro nutriuntur, & Hoſtium mortibus vivunt Immortales. Non latet Orbem, quam ſerii ſitis inter Ludos Martiales, quàm celeres in Campo Martis ad Victoriam, quæ ſatis ſe inurbanam crederet, ſi ultrò tantis Heroibus non occurreret. Veſtro Nomini non parum debet Patria, quòd hactenus *Roſſiacus* Ales, lugubri indutus atrore, illorum deplorat funera, qui cuſis è chalybe ligonibus, vel vivam tumulare Lechiam promittebant. Nec inviti Herbam porrigebant Barbari, quibus ad Gloriam cedere videbatur, quòd illa Manu cæderentur, quam etiam Hercules formidaret. Laborabat febri, pavidus jam *Sudermaniæ* Leo, cùm Veſtram Fortitudinem cogitaret. Toties Ducalis Nominis victa terrore, jam ſangvine rubuit, jam metu pallebat *Othomanica* Cynthia, quoties Polonæ Libertati compedes, ferrum, ignem, tumulos minabatur. Volebat nempe cor-

nuta

nuta Phòébe viſcera Sarmatiæ ſcrutari, verùm in OGINSCIIS Martios Arietes opponebat Patria, quos ſenſit Hoſtis & doluit, cùm Vitam fundere cum ſangvine cogeretur. Didicit profectò per experientiam Lernæa hæc Hydra, etiam in Septemtrione naſci Alcidas, in Ducali PORTA inveniri Mavortes, quibus faciliùs erat monſtroſa metere Capita, quàm Aliis fulmineum de vagina ſtringere Mucronem. Retroſiſtis quoq; haud ſemel adamantino clypeo, felle colubrino pota Scythiæ jacula, quæ mittebat ſurſum, hoſtilis Furor, ut altiore niſu, librantem ſeſe Poloniæ Alitem, deſuper feriret. Veſtrum erat Tavricanos frangere Arcus, pharetrarum ſcindere nervos, & rupto vitæ ſtaminæ ad Tartara damnare Tartariam. O Magnam Deorum Domum, Mitratam PORTAM! quæ toties Gradivum Patriæ providebat, quoties dubia Belli Alea, in hoſtico erat jacienda. Numeret ſtellas, ſi poteſt, qui hujuſmodi Heròás ad calcu-

lum vocare Optationis laborat Figurâ.
Nobis ſufficit dixiſſe, Te vivam eſſe
Omnium Synopſim, Te enucleatam Il-
lorum Iliadem & Virum Nominis ſui
MARTIANUM. Jam tandẽ reverentiùs
Calame! Palatinum Oſtium Baſilica eſt,
quam Magnum Terrarum Numen HO-
NOR inhabitat, jamq; dicatum olim Ro-
mulea in Urbe Fanum dedignatur. Quã-
doq; Phóèbi tantùm radiis illuſtrem
videmus Domum, quam clariores fugi-
unt Tituli, ne in tenebras offendant.
Adeo rarus Hoſpes, in parvis Ædibus
Magnus Honos, ut ingentem admirati-
onis incurrat notam, ſi vel primum for-
met paſſum, ex Voto, humiles viſitan-
di Lares. Aſt Tua Magne PALATINE
Domus, Maxima eſt à Majoribus, Illu-
ſtriſſima à Ducali Fulgore, Celſiſſima à
faſtigiis Dignitatum. Et certè derogant
Authoritati ſuæ Prærogativæ, quæ mi-
nimè rogatæ ultrò ſe & violenter O-
GINSCIANÆ PORTÆ non intrudunt.
Hinc difficilius eſt Solem in Æthere,
florem

florem in Horto, aureis in Montibus obryzum invenire, quàm in Trabeata hac Domo Honorum ac Heroûm Insignia. Si ubi? hic videat Orbis laurigeras Dynastarum Secures, Reipublicæ securitatem tuentes; Herculeas Ducum Clavas, hostili Antæo formidabiles, Antistitum demum Annulos, & Polycratis gemmâ feliciores & Pyrrhi adamante digniores. Pulsant alii Senatorium Conclave, nec audiuntur. Alliciunt votis, provocant suspiriis, trahunt Fortunæ suffragiis Dignitatem, quæ tamen eò velociùs fugit, quò celeriùs insequitur Competitor. Venantur non pauci Titulos, explicant pro hac præda Timothei casses, nihilominus noctuq; diuq; laborantes, nihil capiunt; præterquam publicum risum & jocosos Populi sermones. Non cadit in Vos frequens aliàs censura. In Ducali namq; PORTA nascuntur Purpuræ, pullulant Fasces, crescunt Scipiones, & quemvis hac de Stirpe natum, blandè vestigant, ac spontè

tè ambiunt Curules. Procul centum Thebarũ Portæ, PALATINUM Oſtium Palatium eſt Honorum. Nec mirùm, revocemus retrolapſas Sæculorum Cẽturias, uno ore loquentur, de hac Domo Illos nonniſi prodiiſſe, qui Palmam ferebant in Caſtris, Famam inferebant Aſtris; & talia agebant pro Patria, ut erubeſceret nonnihil, quòd in præmia non ſufficeret. Illorum erat Orbem implere Geſtis, Faſtos ſuperare Rectefactis, ſibi utiq; ad perennem memoriam, Sarmatiæ ad Gloriam, Poſteris ad Exemplar, exoticis Regnis ad prodigium. Debebatur igitur immortalibus Viris non unus Honos, qui Magnus licèt fuerit, majorum Capaces ſemper invenit, & quamvis ſublimem ſe viderat, Benemeritorum Magnitudini imparem fatebatur. Errat perſæpè Dignitas, dum indignis ſe offert, ut clareſcant Orbi, aut Genere, aut Vitiis obſcuri. Elevantur Alii in Altum Fortunæ pennis, ut graviorem timeant caſum, rebus ſecun-

dis nimiùm audaces. Quidam Avorum adjuti Ceris, ſurſum nituntur cum Icaro, quatenus vel de Fabula Hiſtoriam reddant, vel Fabulis ingeri mereantur. At verò Prædeceſſorum Tuorum erat Gloria, quòd à ſummis Honorum Apicibus ſtudiò quærebantur, quos palmari Meritorum aſcendendo paſſu, altiùs evehebant. Ducales interim Majorum Umbras, in Theatrum Panegyris non inducimus, ne Illuſtriſſimam Tuam Domum metiri videamur ab Oppoſitis. Adoramus profundè, alto ſilentio Manes, quorum Fama vocalis eſt per Orbem. Et verò quid nobis cũ Aboriginũ Exuviis? dum Solus Omniũ Animos induiſti. Nimirum Viva es Antenatorũ Imago, quam Phidias in Gemma, Zeuxes in Cedro poneret, ſi Heròúm Epitomen exprimere moliretur. Satis eſt ergo, quòd Prædeceſſores Tui, Fulcra fuêre Reipublicæ, Libertatis Aſſertores, Legum Arbitri, Patres Patriæ, in Sago & Toga, ad Aras & Focos memorabiles. Quin-

imò vivunt Illi in felici Patriæ Recordatione, in Hiſtoria Domûs OGINSCIANÆ, in Oratoriis Paginis, in ore deniq; Senatûs Populiq;. Aſt parum dixi? vivunt in Te, non ſecus ac Anchiſes in Pio Ænea, Priamus in Hectore, Philippus vixerat in Orbis Domitore. Tacet itaq; Svada antiquos Honorios, ut impenſiùs colat Præſentes. Laudat obiter vetera, ſuis gloriatur Temporibus, quibus Purpuratorum Patrum Albo, ter Optimus, ter Maximus OGINSCIORUM contigit Triumviratus. Tu (inquam) *Vitebſcenſis, Illuſtriſſimus* CASIMIRUS Vilnenſis, JOSEPHUS Trocenſis, PALATINI. Metire jam Orbis! quàm magnificæ Honorum Ædes, Ducalis PORTA, tot Purpuris adornata, tot Illuſtriſſimis Titulis *Illuminata*.

Jam tandem in OGINSCIORUM PORTA, Deas quoq;, erudito Capite adora Facundia, ut palam fiat Hanc Domum elevatam eſſe, ſupra communem Hominum ſortem, vel ipſo tamen PA-

LATI-

LATINO Humaniſſimam. Domeſtica profectò eſt Vobis Fortuna, nam ſemel Ducali invecta PORTÆ, fregit Rotam, ne unquam diſcederet. Plures graviter incuſant inconſtantis *Deæ* levitatem. Ubiq; pænè Dies agit Hoſpitalitatis; imò venit, ut fugiat; apparet, ut diſpareat. Nec miremur! cæca eſt, ex profeſſo errat oſtiatim; * *lubrica eſt, nec invita teneri poteſt*; vitrea eſt, vix molliore tangas amplexu, frangitur; doloſa demũ, etiã ingenioſos ſui fallit Aucupes. Ideo ſolùm è Vatum Commentis mutuatur alas, ut ocyùs avolet dum manus porrigit; aut ſi rapitur quandoq;, eripiat ſe, ſubitò ultra Nubes. Verùm correxit ſuam famam Fortuna, ubi Principem OGINSCIORUM intravit Domum, cui æternaturo fædere vel in manuali orbita, ſe ipſam deſponſavit. In primo nempe huc paſſu, levior Dea didicit gravitatem. In ipſo PORTÆ ingreſſu oculos aperuit, ut ſuam videret

* *Curtius Lib: 7.*

felicitatem, quòd tam Sublimem, tam Amplam incoleret Domum; unde ejuravit illicò dolos, ſeq; immortalibus Viris adamantino Voto obligavit. Procul *Cæſaris Fortuna* poſt ſerias & ludicras Scenas, tragico clauſa eventu! OGINSCIORUM Felicitas perennis eſt, nec mutari novit, niſi è bono in melius;nec progredi valet, præterquam à minori ad majus. Quanquam ſemper Magna fuerat, quia in Maxima Domo morabatur. Alibi rara Fortuna, ſine infortunii clauſula; vix dexteram offert, abit in ſiniſtram, eò fallacior Dea, quò felicior; quia nunquam frequentiùs fulminat, quàm ſi appareat ſerenior. In PALATINA Domo hujuſmodi non dantur Caſus, dum adeo Illam adamavit Fortuna, ut etiam pennas ſpontè rejecerit, ne cogitaret quidē avolare. Nec Otio indulget hoc Numē, dū in laborāte pro Republica Domo, Senatorios plātat Faſces, Tyrias texit Purpuras & continuò accendit Ceras altiſſimæ Cognationis.

Verùm

Verùm quæ Ingenii vaſtitas? quod filũ Dictionis? ultra Europam fere protenſam, Affinitatis Tuæ Lineam metietur. Æquor in concham, Montes in atomum ſtringeret Orator, ſi Ducalis Conſangvinitatis Erythrã, vel mille pennis circumſcribere conaretur. Non eſt Purpura, niſi in Veſtro etiam tingatur Sangvine; non eſt tam Magnum Nomen, quod à derivata in ſe OGINSCIANÆ Domûs non creſcat Majeſtate. Coronant Mitratã PORTAM, jam Sarmatiæ & Haliciæ Regum Diademata, jam Ducum *Ruſſiæ*, *Severiæ*, *Kijoviæ*, *in Klewan*, *in Korec*, *in Oſtrog &c &c* Nomina, pridem Famæ lituo Terrâ Mariq; promulgata. Habes hic POTOCCIORUM *Pilavam*, Primatiali Titulo Celſiſſimum, WISZNIOWIECCIORUM *Phœben*, Diem Solis accendentem, BRZOSTOWSCIORUM *Stapedẽ* meridianis ſplẽdoribus radiantem, TYZENHAUZORUM *Taurum* Sarmatiæ Portitorem, ſuccollandæ Europæ ſufficientem; ar-

genteas WOYNARUM *Tubas*, Gloriæ Triumphum canentes; PACIORUM *Flores*, langventem Patriã fulcientes. Habes RADIVILLIORUM *Aquilam*, Lechicæ Reginæ Volucrum coætaneam; SAPIEHARUM *Tela* pro publico Bono pennata, Avita PUZYNARUM Decora, BIAŁŁOZORORUM quoq; *Caput* Patriæ & Ecclesiæ Devotum. Taceo Alios, ne Actum agam, & ſcienti optimè Orbi, illud narrem importunè; quod pridem Oratoriæ loqvuntur Paginæ, OGINSCIANI Nominis, vocaliſſimi Præcones. Non ægreferes deniq; Magne PALATINE, nam arduum eſt humili Capite, in Alto Cognati Rubiconis fundum invenire. Gòrdius Nodus Oratori, longa Sæculorum ſerie, concatenatum Familiarum nexum ex integro enodare. Satis eſt, quòd fluebant calentioribus Votis affines Ceræ, ut PALATINUS Murex Tuos influeret Humeros, quibus Patriæ Olympum redivivus ſuſtentas Atlas; nec eges Alcide, ut ſuccedat in

onus,

onus, cui Honos incumbit, nec gravat, quia Grãdioribus Titulis aptum experitur. Fuerit quondam *Virtutis Atrium* Septicolli in Urbe, OGINSCIANA PORTA, verius eſt hujuſmodi Deæ Sacrarium, dum Nulli inde prodire licuit, niſi cum numeroſo Virtutum comitatu. Cultior tamen erit Facundia, ſi Digreſſionis rejiciet Figuram, ut nullus ſit ſermo, niſi de Te. Imò nec Tibi ſufficiet Svada, qui plura egeras in Oſtro, quàm Tullii valent Roſtra. Propalabimus interim vel ex parte, quod Orbem non latet de toto. Guſtemus ſaltem, quàm ſvavis Cœlo? quàm dulcis es Patriæ? ab innata Tibi Probitate. Ita formatus es à Natura, ut videaris vivere Æternitati. Obtigiſti fatiſcenti ſenio Patriæ Senator, qualem retroacta optabant Sæcula, ſecuturæ Ætates mirabuntur. Exulat non raro ab Aula Virtus, vilior facta inter pretioſa Ædificia. Erubeſcit quandoq; ſuas Purpura maculas, lacrymis nonniſi abſtergendas. Sæpè

Magnatum Palatia, Vitiorum ſunt ſeminaria; nec creſcit Virtus, ubi ſurgit in altum Domus, ac ſi improbum eſſet, colere Probitatē. Verùm Jlluſtriſſime PALATINE Te videns, *Virtutem Dominam* Sarbievius. *quis neget eſſe Domi.* OGINSCIUS es! *Columna* (inquam) *Ignis* Patriam fulciens, Virtutum petens ſublime, Orbi lucens Benemeritis, Amore ardens Reipublicæ. Vivis non Tibi ſed Patriæ, cujus Filius cū eſſes, Pater fieri voluiſti. Cernat Te, cui vivam Optimorum Iconem intueri placet; Te noſcat, qui non novit Compoſitum ex Virtutibus, nam rarus ſine nævo præter PALATINUM. Pro Oraculo habetur, quod de Oris Tui prodit Cortina. Theatrum moderatioris Animi cenſetur, exporrectæ Frontis Majeſtas. Nec alio Manus compellamus vocabulo, quàm apertas Munificentiæ Aurifodinas. Toties fuiſti Palæmonii Areopagi Superarbiter, & ſemper Aſtræam deſuper revocabas; ſemper novus Ariſtides, alter Juſtinianus

&

& Lycurgus audiebas. Noveras enim bene, quod fortiùs Regna tuetur Æquitas; quàm Trojam Palladium, Romam Cœlo lapsa Ancilia. Induisti itaq; *Thoracem Iustitiæ*, nec argenteis telis penetrabilem, nec aureo Philippi Ariete lacerandum. Ponebas Causas in Judicii Libram; ut sola merita non munera ponderares. Oculata Tibi fuerat Themis, ne cæco modo forenses lites componeret; Tu verò ad auri fulgorem claudebas palpebras, ut meliùs Justitiæ provideres. Plaudebat Æquitas, plangebat scelus, cùm Directricé Virgâ Illa amaret, istud metueret. Et meritò, experiebatur enim Insons favorem in Judice, at crimina Legem in Codice, servare cogebantur. Alibi vel aurum vel pretiũ Sangvinis agit Causidicum, nec rarò Victoriam canit ante Triumphum. Tu *Illustrissime* PALATINE formabas Decreta, quæ Polus subscriberet; ferebas ultimam Sententiam, quæ prima esset Superis, si Terras vocarent ad Tribunal.

nal. Sunt qui Judiciarios prehendunt Fasces, ut bipenē præferant ad terrorem, & crudi homines & crudeles. Rea illis quandoq; etiam Innocentia, plectunt graviter leviorem noxam, imò ibi Culpam inveniunt, ubi non est. In Te nec Censorius Cato hanc labem notavit, dum mansvetiorem in Omnes Animum, severitate; rigorem Justitiæ, Clementiâ temperasti. Magna raritas, Magnatum Pietas, nam pluribus immersi curis, incurii sunt in cultu Numinis, pro Focis Patriæ plùs æquò solliciti, Aras obliviscuntur. Tu Illustrissime Domine ita Vitam devoves Reipublicæ, ut Devotionem à Te non excludas; ita publicis Commodis litas Opes, ut in DEUM quoq; sis Liberalis. Senatorium esse arbitraris, Altaria argento ornare, Mystas auro induere, Sacrata Superis Delubra serico vestire. Clamat non unus lapis de pariete Basilicæ Nostræ, basilicam PALATINI Munificentiã; non surgeret enim hoc Augustum Sanctuarium,

Insignis Benefactor Templi Colleg: Vitebsc:

rium, nisi gratiosâ Dexterâ elevares. Supra conceptum est, etiam ingeniosi Oratoris, quis Tuus in Immaculatè Cō-ceptam Animus? quæ in Reginam Poloniæ Pietas? tenes ultra decennium Mariani Regni Sceptra, & quotannis sub Festum Intaminatæ Originali nævo Virginis, noctem quoq; vertis in diem, illa luce, quam triumphales Machinæ exhalant. Donas Te itaq; & Tua Superis, Illi etiam faventiores se Tibi probârunt, postquam redimitum Mitrâ Principem, Natorum Coronâ cinxerūt. Primus Eloquētiæ frōtē incurrit IGNATIUS Castrametator M.D.L. Capitaneꝰ Braclaviensis, verè *Gloria Succedens Patri.* Intulit sese ad ensem natæ Illius Dexteræ, Regale Labarum, aut veriùs prima Cataphractæ Militiæ *Auriflamma*, ut communi Orbis judicio, Aureus Patriæ, Igneus hosti censeretur. Non semel Legatus ad Regni Comitia, semper Comitem habuit, publici Boni Amorē; nam multùm laborabat Capite, ut sano

Consilio ægris Patriæ rebus mederetur. Quoties Oratorem egit pro Republica, toties redivivus Cyneas, toties in Flore Ætatis maturior Eloquio Nestor audiebat. Auget Magni Progenitoris Gloriam, Par nobile Fratrum, CASIMIRUS & THADDÆUS â DEO utiq; dati, Tibi in solatium, Patriæ in Fulcrum, Summis Honoribus in Columnam Terminalem. Stabit labentibus sæculis Laus STANISLAI, Academici adhuc Tusculi Papirii,qui publicas Spes de se,indies auget, jam Pietate, jam Sapientiâ *Filius Accrescēs.* Verbo: unum Omnium augurium, quòd Illos Fasces ac Trabeæ, Claves ac Clavæ Reipublicæ expetunt, & expectant. At verò FRANCISCUM in Maximum Decus, Minimæ obtuleras Societati. Aget ille ad Aras pro Domo Tua Oratorem,idq; unitis viribus, cum sparsa per Orbem Religione; quæ satis sit Collecta, ubi pro PALATINI incolumitate, loquitur cum Superis. Taceo Dimidium quondam

dam AnimæTuæ geminas TERESSIAS, illas olim Orbis Pulcherias, Sarmatiæ Lavinias, Optimas à Pietate Bonas, nũc ab Aſtris in Te proſpicientes, & gratioſos Poli Influxus in PALATINAM Domum derivantes. Vixiſſent utinam! de noſtris adderemus annis, Quarum Munificentiâ *Annos Gratiæ* vivebamus. Verùm ſufficit Nobis Gratia Tua *Illuſtriſſime* PALATINE, cum qua quoties Gratitudo Noſtra certavit, ſemper victa, ad Senatorios Pedes ſternebatur. Prædicabimus ergo uno ore profuſam in Nos Liberalitatem, inarabimus perennaturis Annalibus Gratias, ut legat Poſteritas & colligat, Te novum Nobis fuiſſe Titum, Te Veſpaſianum, Te Atavis editum Principibus Mecænatem. Et quidni IGNATIUM *de Lojola* ames in Ejus Filiis, qui ex ipſo OGINSCIANI Nominis etymo, clariſſimo probaris Argumento, eſſe *Ignis à DEO illatus* Sarmatiæ, ad ſplendorem. Progredere igitur fortunato paſſu in PALATINÆ

Dignitatis Culmen, Qui Senatorium induiſti Laticlavium, ut non unam Virtutem ſplendidiùs exornares. Aſcende PALATINUM Apicem, Cordibus priùs, quàm Liberis electus Vocibus: hæc interim Dignitas Gradus erit, non Terminus. Majora etenim ſpontè obviabũt, cùm Maximus ſis & Sagvine & Virtute. Certabunt Purpuræ, Sũmusq; minorem præcurret Honor,ut aures quærat in pedibus PALATINI. Subſiſte jam Panegyris! imò in profundiorem cade Cultum, ut Senatoriam coronans Plantam, vel ſublimi ſtylo altiùs eleveris. Nos verò, qui in altiſſimis quia de Te Senſibus, profundè adoravimus Ducalis PORTÆ *Deos Penates*, Deorum Immortalitatem,& Vocibus & Votis & Calamis precamur Magno PALATINO.

Quid ultra?

Continuent Superi pleno conceſſa favore
Gaudia, ſucceſſusq; novos ſucceſſibꝰ addant.

120a